



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Q. 3. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux  
nunquam debitum exigat?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

omninò ponitur jus, nec obligatio ad usum matrimonii, quæ tamén est essentialis matrimonio.

423 Ad 6. R. B. V. & S. Josephus matrimonium non sub ea conditione, sed absolutè contraxerunt, consentientes verè in jus, & potestatem suorum corporum, quamvis uterque haberet propositum servandi castitatem, id quod B. V. non obstante voto castitatis, quod habuit, licitè facere poterat, quia ex Divina revelatione illi certum erat, quòd debitum conjugale ab ipsa nunquam esset petendum, ut docent S. Th. & S. August. relatus in *can. Beata 3. caus. 27. q. 2.* Ubi sic ait: Beata Maria . . . subiecit se Divinæ dispositioni, dum proposuit, se perseveraturam Virginitatem, nisi Deus aliter ei revelaret: committens ergo virginitatem suam Divinæ dispositioni consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed Divinæ inspirationi in utroque obediendo; postea verò filium genuit, & quod corde conceperat, simul cum viro labiis expressit, & uterque in virginitate permansit; consensus ergo cohabitandi, & individuum vitæ consuetudinem retinendi interveniens eos conjuges fecit. Hæc ille.

Porro, licèt sententia posterior negativa probabilior utique videatur; cùm tamen sententia affirmativa valdè probabilis sit, & in du-

bio præsumendum sit potius pro valore, quàm pro nullitate actûs, poterit Confessarius interroganti Patronillæ respondere, ut depositò scrupulo maneat in eo matrimonio secundùm valdè probabilem sententiam validè contracto, & marito cohabitet, præsertim cùm, ut ipsa asseverat, à tempore initi matrimonii jam per aliquot menses nihil à marito fuerit petitum, contrarium castitati, nec contra eam quidquam hactenus peccatum sit; Consultius tamen est, ut ipsa, si commodè possit, cubet in lecto separato ad præcavendum omne periculum, quod cum tempore oriri posset, vel si quod periculum foret, ut petatur dispensatio è legitimo Superiore concedenda. Unde

Patet responsio ad secundum Q.

Ad 3. Q. An valeat matrimonium contractum sub conditione, ut conjux nunquam debitum exigat? Respondet Sylvest. *V. matrimonium 4. 9. 7.* non vitari matrimonium, etsi id ab initio in pactum deducatur. Rationem dat, quia nunquam petere non derogat fidei conjugali, utpote quam sufficienter conjux servat reddendo, neque est contra bonum prolis, utpote quæ reddendo generari potest. Nihilominus rectius, meliusque affirmant alii per ejusmodi pactum, seu conditione-



ditionem matrimonio appositam vitari matrimonium, Ita Adrian. in 4. q. 3. de matr. dub. 9. Sanch. l. c. n. 4. Laym. l. c. uterque Ledesm. Henricq. aliique supra cit. Ratio est, quia de ratione matrimonii est totalis corporum traditio, ex qua dimanet mutuum, & æquale jus in utrôque in corpus alterius: atqui in hoc casu hæc totalis traditio non fieret, hoc ipso, quòd non traderetur jus petendi, nec esset æquale jus in utroque ad corpus; cum alter jus petendi simul, & reddendi acquirat, alter verò solum jus reddendi.

Atque adeò non esset par utriusque conditio, & totalis corporum traditio, prout tamen ad contractum matrimonialem requiritur. Unde

Patet responsio ad rationem in contrarium allatam. Præterea, licet nunquam petere, ait Laym. l. c. non sit contra fidem matrimonii, & bonum prolis, id tamen esse, se à principio obligare ad nunquam petendum.

## CASUS LXXV.

*De matrimonio dubio, & sponsalibus, ac sententia à Judice ferenda?*

**T**itius sub ficta hac matrimonii promissione, *deinceps mea uxor eris, volo tecum contrahere, &c.* extorsit copulam à Bertha, cui postea factam promissionem urgenti respondet Titius, se non modò mentem suam mutasse, sed etiam nunquam serium animum habuisse, eam ducendi in uxorem, quo audito Bertha Titium in jus vocat, qui à Judice de facta promissione interrogatus eam rotundè negat, quam cum Bertha nec testibus, nec aliunde sufficienter probare posset, Titius ab omni obligatione liber à Judice pronuntiarur.